

ex parte, & eos secutus Arabs & Vulgatus, uti supra verba eorum jam vidimus: quæ Hieronymus ita accipit, ac si indigitetur mors impiorum ipsis à Christo ceu justo iudice infligenda h. m. *Et dabit* (vel tradet hostibus) *impios* (Judæos puta, qui Salvatorem nostrum Romanis tradiderant), idque propter *sepulchrum ejus* (quod ipsis mediantibus petere coactus est) & *divites* (sc. Pontifices & Sacerdotes avaritiæ deditos & malè partis ditatos) *propter mortem ejus* (tam nefariè procuratam)

§. 8. Hos quoque fideliter sequitur, quin & illustrare ac stabilire eorum sententiam conatur Cl. Haksenius Notis Philologico-Theologicis ad h. l. quando ibid. p. 694. scribit: *Attendamus necesse est ad antecedentia & consequentia, atque clarissimè apparebit, non hic descriptam esse Christi vel mortem vel sepulturam, sed hostium ejus pœnas, ceu rectè observarunt Chaldeus & Græcus. Dum enim confertur versus 8. cum 9. videmus opponi inter se (1) Personas. (2) Personarum afflictiones. Personæ erant Messias patiens & impii mala inferentes. Afflictio personarum (1) est Messie (2) Impiorum. Messias dicitur fuisse בעצור in angustia ita coarctatus, ut emergere non posse videatur, ac si esset constitutus in sepulchro sine ullis viribus & facultate. Huic opponitur caterva impiorum deturbandorum in sepulchrum, quod innocenti paraverant. Deinde Messias fuisse dicitur במשפט in iudicio. Sic quoque divites illi ex Judæis, qui assessores erant Synedrū, pro morte ejus subire debebant iudicium mortis, atque similes pœnas luerent: Poscit hanc expositionem necessario ipse v. 9. Redditur*

tur